



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ærumnæ D. N. Jesu Christi

Thomé <de Jesus>

Monachii, 1676

Ærumna III. Violenta repressio ferventis amoris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45834)

peccata; purifica me, ut merear eum semper mecum habere. O Cives cælestes, super quos Dominus iste jam regnat sine impedimento, impetrate huic pauperculo unam scintillam amoris, quo vos ardetis, ut accendatur etiam in anima mea, donec veniam ad vos, & gaudeam vestrâ societate. Amen.

ÆRUMNA III. Violenta repressio ferventis Amoris.

I.

Uerricus Abbas in quodam sermone facit mentionem alterius molestiæ, quam Christus Dominus non solum sustinuit novem illis mensibus, in utero sacratissimæ Virginis *MARIÆ*, Dominæ nostræ, valde propriam & connaturalem immenso igni, qui semper flagravit in pectore Domini: quæ fuit repressio impetûs & violentiæ sui amoris, ne erumperet in opus, propter quod venit in mundum. Habet amor naturam ignis, elementi cæteris omnibus robustioris & operosioris. Ideo propter opera amoris, quæ *DEUS* fecit, excedentia iudicium & intellectum humanum, quæque si non provenissent ab amore infinito, viderentur minimè convenire Majestati Autoris eorum, vocatur *Ignis consumens*. Apprimè sanè conveniunt amanti divini omnia nomina, significantia potentiam & magnitudinem, ut sunt: Fortis, invincibilis, omnipotens, impetuosus, inflammans, & alia id genus: quia æternus ac supernus ignis, à quo procedunt opera *DEI*, sunt evidentia signa proprietatis, cui hæc & alia attributa conveniunt. Atque ut ignis, ubi incidit in meliùs paratam materiam, ibi magis exerit vim suam: sic amor in magnitudine, & majestate pectoris divini, capi non potest humano iudicio, quantarum sit virium. Hoc igne ardebat Verbum Incarnatum in ventre sacratissimæ Matris, dum expectaret terminos & spatia naturæ ad egrediendum, & aggredienda divina opera, doctrinam cælestem, immensos perpeffionum excessus, & exundantia flumina gratiarum. Ardebat complere, quod sibi impositum erat, & cogebatur manere absconditus & ignotus, expectare tot mensibus, imò & annis, donec tempus æterno consilio præfinitum adesset.

Serm. 3. de
Annunc.Vis amoris
Christi.

Deut. 4. 24.

*Violenta
repressio.*

*Proverb.
13. 22.*

II. Hinc impetus & vis hujus amoris ab ipsomet Christo repressi, reflectebatur in illum, illum affligebat, cruciabat, ac devastabat. Si verum est, quod dicit Scriptura, & experientia docet esse verissimum: *spes, quæ differtur, affligit animam*; & quantò res magis desideratur & æstimatur, tantò magis affligit ejus dilatio; quanta fuerit afflictio hujus animæ eo tempore, quo, donec natura corpus ad debita incrementa perduceret, expectabat, ut posset potiri voto cordis sui; quod erat, implere nos bonis, & impleri malis, quæ decreverat pati, ad satisfaciendum suo impetuoso amoris? S. Augustinus alicubi dicit: si Deus pati posset in sua natura, nihil aliud passurum, quàm angustias sui amoris: cum enim ipse tam sit plenus amore, ut totus sit amor, nihil aliud eum posset affligere, quàm quòd non ametur, quantum desiderat; quia videantur frustra fuisse, quæ fecit, ac passus est hominum causâ. Sed longè profectò gravius ei fuerit, cum infinitis modis amet, non posse ostendere, quantum nos amet: quia major est vis amoris, quâ rapit amantem in amatum, quàm ea, quâ trahit amatum ad se. Quod in sua natura Deus non potuit, in assumpta est passus; in qua cum amorem suum omnibus modis vellet ostendere, neque hoc permitteret mora trahenda in utero, necessariò summum ei cruciatum conscivit. Nam illam ut instrumentum infiniti amoris acceperat; & tamen impetum ejus, flagrantis erumpere, dura necessitas expectandi tenebat. Apparuit hoc, ubi solutus & liber ejus amor jam fuit. Quomodo sacratissimam suam humanitatem tractavit! quas artes patiendi solertiâ summâ invenit! nam primò natura vires, quas potuit, omnes exeruit, ut furiam & æstum hujus amoris sedaret: deinde cum ipse videret humanitatem suam tantum pati non posse, quantum ipse vellet, ante mortem excogitavit modum, quo se in escam præberet, ut sic incorporatus se manducantibus, seculis insequentibus usque ad mundi finem ageret, ac pateretur in illis, quod in seipso non poterat. Denique etiam post mortem curavit sibi aperiri latus in Cruce, ut cum hac & manuum pedumque plagis cælum subiret, cum ut animo suo ita satisfaceret, tum etiam ut pateret, nihil ultrà fuisse, quod præstaret, dum fontes istos relinquebat apertos.

III. Duæ

III. Duæ res inveniuntur in mundo, quarum experientia monstrat hanc veritatem de Christo: sanctus Amor proborum, ac terrenus vanorum. Sanctus Amor piorum scintilla est flammæ incomprehensibilis Divini amoris, quo Christus Dominus noster flagrabat; idemque in multis eorum hoc agit, ut semper eos discruciet, cogâtque vitam dolore plenam exigere. Dolet eis, non videre illum, quem adamant; quia in exilio suo, cum pondere carnis, non possunt assequi, quod ab eis Deus requirit. Hinc fit, ut amittant omnem ferè gustum sensuum, noctes degant insomnes, cibus & relaxatio corporis molesta sit: quia tanta est vis, quam eis affert amor divinus, ut non sinat eos occupari cum alio, quàm secum: quidquid agunt, eis parum videtur; flagrant toti conflagrare: atque ut anima in ergastulo corporis minùs libera est ad ea, quæ flagitat spiritus, ita semper vivunt in continuis pœnis: & qui ad eum statum perveniunt, majorem partem sunt infirmi, debiles, & valetudinis exiguæ; quæ autem secretò patiuntur, non est hujus loci, neque omnes capiunt: qui experiuntur, sentiunt, quale tormentum sit purus amor illi animæ, quam occupat, & quàm difficile sit explicare verbis lætitiâ ac pacem, quâ gaudent, mixtâ semper doloribus ac tormentis: quantò denique majore patientiâ sit opus ad sufferendum onus vitæ istius, quàm ærumnas mundi. De hoc agebat Apostolus, cum deploraret se infelicem, quòd, gravatus pondere corporis, non sineretur abire, quòd spiritus eum vocabat, & cum tam vicinus esset Christo, qui solus in eo vivebat, mori deputabat in lucro: & quando David tristem animam suam consolabatur spe, quam habebat, occupandi se adhuc in laudibus Dei sui; & quando pro cibo fuerunt ei lacrimæ die ac nocte, propterea quòd non videret Deum suum, quem efflictim amabat; apparuit profectò, longè majus in ejus animo fuisse tormentum amoris, quàm eorum, quæ patiebatur intrinsecus. Quòd si tam grave fuit sanctis hominib⁹ tolerare unam scintillam divini amoris, quòd in hac mortali vita sese, ut vellet, explicare ac dilatare non posset, ut exilium hoc videretur eis intolerabile, ac vitæ pigeret; quid effecerit ille intensus ignis in pectore Christi, cum expectare debuit tempus, quo ei liceret facere, quod tantopere cupiit?

Iv. Jam

Et profano-
rum amo-
ribus.

IV. Jam nemo est, qui ignoret furias amoris terreni, & violentiam, quâ tendit in id, quod amat. Ab illo nascitur mœror ex absentia, spes ex apparentia, gaudium ex adeptione, metus ex periculo, dolor ex jactura. Non curat quale sit, quod amat, bonum, an malum; sed ita fertur in illud, ut omnem laborem pro consequendo ducat exiguum; omne impedimentum, quantum vis bonum, reputet iniquum & intolerabile; omne adjumentum ad consequendum approbet, appetat & arripiat, nō alia ratione quàm suorum appetituum: omnia penetrat, omnia perumpit, omnia tentat, neque aliud ei molestum est, quàm non potiri optatis. Nec rarò videmus amore percitum animum, planè durum, cæcum & obstinatum esse contra omne bonum consilium, in iis rebus, quæ judicio sano & libero habentur pro pessimis. Clariùs hoc cernitur in illis, qui illustrati à Deo tali se amore conantur exuere, ut corde ab his, quæ malè deperierant, avulso ferantur in Deum: nam tunc videre est, ut animus affectione terrena imbutus, quasi ruptis rectæ rationis catenis, resistat veritati ac Deo, ad instar dementis. Omitto alia, quorum quotidianus est usus & experientia. Sufficiat, Ærumnas humanæ vitæ, quibus perpetuò conflictantur, omnes oriri ab affectionibus animi, aut nimium amantis, quod nititur obtinere; aut non invenientis requiem in eo, quod habet vel desiderat; aut quia appetitus & amor est major eo, quod amat & appetit; atque ita, dum conflagrat immodicis cupiditatibus, & mœret rei concupitæ defectu, justas Deo dat pœnas, quod ipsum non amet.

Conf. l. 7. c. Insuper enim, ait Augustin. & sic est, ut pœna sua sibi sit omnis inordinatus animus. Quod si terrenus amor, qui non est scintilla divini, sed rudis quædam ejus adumbratio, & veluti pictus ignis comparatus cum vero, nihilominus tantum potest in hominibus; quid effecerit vivus ille ac purus ignis amoris in propria & naturali sphaera, quod est pectus Christi, quando vidit se impediri ab eo, quod desiderabat?

Hæc, quàm
sumus ei
dissimiles!

V. Quando verò homo Christianus intuetur hæc specula amoris, maximo sanè pudore confundatur oportet: nam si oculos habet, ut cum divino amore Christi se conferat, ut S. Augustinus faciebat, deprehendet se in vasta regione dissimilitudinis: quia nobilitas

bilitas ac dignitas animæ consistit in eo, ut similis fiat suo Creatori, in perfectione & actionibus suis: quando ergo, ut filius prodigus, discedit ab hac regione similitudinis divinæ, ubi erit, nisi in regione longinqua, confusionis ac pudoris, in qua nihil inveniet, quod puritati sui Creatoris sit simile? & si anima tam cæca sit, ut non possit intelligere amorem DEI, & ex ejus comparatione seipsam; hoc saltem clarè videbit, quàm longè sit ab illo amore: quia in his teneris affectibus, quibus æstuat; in labore, quem subit eorum causâ; in mœrore, cùm non sit compos votorum; in fervore, quo illa prosequitur; in occupatione, quâ diffinetur; & in omnibus aliis, quæ patitur, deprehenditur manifestè, quàm homo amet seipsum, quàmque DEI, ac suæ salutis immemor, parùm aut nihil agat amore Domini, cui vitam & omnia debet, quæ habet.

EXERCITIUM

Circa repressam vim amoris Divini.

I.

TU non potes otari, ó ignis & amor Divine! & quando foris *Amor*
videris nihil agere, intus magis grassaris: quia, cùm non edis *Christi*
tuos effectus, non videris mereri nomen amoris & ignis. Tu, mi *nescit*
bone JESU, es DEUS amoris: Tu es purus ignis & amor Divinus, to- *otari.*
tus ardes: neque est opus, ut alius te, quàm tuus amor, excruciet;
quæ sunt hæc angustia, quibus amorem tuum coarctas, ó vita ani-
mæ meæ! ó vere amice animæ meæ! non est hæc tua natura:
semper valde sentitur, fatigat & affligit, quod valde æstimatur, ac
desideratur. Tu tantopere æstimas, ac desideras me cumulare gra-
tiis, fundere sanguinem, pati & mori pro me, totúsque impendi
mei amoris & remedio: quod dum differtur, ardes, suspiras, cru-
ciaris, affligeris. Desideras te mundo ostendere, & cogaris latere:
desideras docere tuam veritatem, & cogaris tacere: desideras *Sed conti-*
vocare & colligere peccatores, curare infirmos, implere omnia *net se ex*
virtute, & gratia, pati & mori pro genere humano, & cogaris esse *bedientia.*
absconditus & incognitus. Ex amore obedis Patri æterno, & obe-
diendo

D

diendo

diendo desideras, & desiderando pateris moras naturæ. Nondum potes tolerare labores tibi propositos; sed cruciaris tolerando dilationem ejus, ad quod venis in mundum.

*Non tamen
sine maxi-
mo sensu.*

II. O quàm parùm intelligunt amatores mundi hoc genus tui laboris! qui te amat, intelligit. Si tui servi, bone JESU, quos afflas puro amore, præ amore semper in tormento sunt, dum vident mundum perire, prolongari verò exilium suum, ac desiderium, quod in eis ardet, gloriæ tuæ, & salutis proximi, & hoc est eis continuum martyrium, quod sentiant deesse vires ad ea, quæ ab eis exigit amor, ac desiderium te complectendi: quale tibi tormentum erit, ô Domine mi, amare, desiderare, sperare, flagrare in tuo Divino pectore immensa incendia Divini purique amoris; si una scintilla, quæ à te provenit ac profilit in servos tuos, tantum potest in illis? benedicatur & laudetur semper sanctus hic amor tuus, ô DEUS meus, ac Dominus animæ meæ, qui tantum in hac expectatione tibi affert molestiæ. Hic, ô Domine, habes, quo eum exerceas ac mitiges: en, coram te adstat anima mea tam pauper & miserabilis, plenâque peccatis, cui solus amor tuus potest mederi, & in quo solo spem habet. Aspice, Domine, oculis tuæ pietatis interiora mea, & miserere vastitatis, quæ ibi est, & plagarum lethali-um hujus tuæ creaturæ.

*Noster
amor ter-
renus.*

III. O quàm longè absum, DEUS meus, à tuo amore! quia quod hic efficit in te, ut me adjuves, hoc facit in me amor mundanus, ut me à te separet: ad res terrenas curro impetuoso affectu; doleo, si differantur; affligor, si non potiar; irascor, si non procedant ex voto; exspecto cum desiderio, quæro cum studio, teneo cum sollicitudine, amitto cum magno dolore; quia me abstraxerunt, ac disjunxerunt à te. O me miserum! qui etsi totum hoc agnoscam, non tamen me satis cognosco: aliàs rumpe- rer dolore, videns quantò minoris æstimaverim te, gloria mea, quàm mundum; & quoties te meæ voluptatis causâ dimiserim.

*Divino se
subtrahit.*

O Divine Amor, quantum tibi debeo! quid me fieret, si tu in- finitus non esses? neque enim aliàs me potuisses sufferre. Quoties DEUS meus, ingressus es hanc animam cum donis tuis, ac desiderio manendi mecum, & me bonis ditandi: at superveniente desiderio rei terrenæ, sine pudore ac reverentiâ, te foras ejeci, ut intrare possent

possent mei miserabiles & infelices affectus? quando postea me vides perditum & eversum per illos, mox revertor ad te, & invenio te patrem, & amicum, immemorem factæ injuriæ: subito me recipis in gratiam, excipis amanter, inspiras consilia salutaria, redis ad interiora mea: & ego necdum trado me totum tuo amorî. Redeo singulis passibus ad deferendum te, & amandandum à corde meo, per mea peccata, quæ magis delectant, quàm tu, Dominus meus: quandoquidem te propter illa dimitto.

IV. Et quomodo vivo, D E U S meus! quomodo coram te ista *Prò dolor.* confiteor sine dolore, qui mihi vitam possit exprimere! O misericordia infinita! O Bonitas immensa! O Pietas æterna! quantas causas habuisses jam pridem me abigendi à te, projiciendi me in infernum, atque tradendi in manus diaboli? & tu tamen ita infinite bonus es, ut hoc non facias, ut sustineas, expectes, ac sinas te despici, desiderans ut revertar ad quærendum & invocandum te, ut mihi denuo porrigas manum. O vita animæ meæ! qualis sum, quando te desero? sine vita, sine sanitate, sine luce, sine amore, traditus potestati meorum peccatorum, ac diaboli, cujus me voluntati subjeci. *Ne quod vellet, in nobis efficiat.* Quid dico, bone J E S U! sum sine te, Deo meo, omni bono meo, omni spe mea. O me pauperem, me infelicem! quando finietur tandem hæc odiosa mea peregrinatio? quando videbo me extra periculum te rursus amittendi, ô D E U S meus! Ignosce Domine: ignosce, J E S U: ignosce, Agnus D E I, hoc, quod vides in hac paupere anima mea: fac, ut consumar dolore ac sensu malorum meorum: en ego illa, & me simul injicio in ignem, qui ardet in te. sana, Domine, vulnera mea, & muta me totum ad voluntatem tuam. Hic operare, Domine, hic arde, hic desiderium tuum exsatura.

V. O quando me videbo possessum ab amore tuo, ut anima mea possit cum veritate dicere: Tu es Deus meus, amor meus, Dominus meus, omnia mea, & ego totus tuus! O quando contemnam omnia hujus mundi, & omnia desideria mea in te conjiciam, vita mea beata! O quando fatigabor hæc vitâ, ut res ejus tanto mihi sint horrore, quantum placebant, cum eas expeterem! O vita cordis mei! ardet nunc anima mea desiderio tenendi & amandi

te. Tu, Domine, sic amoris tui ignem accende in ea, ut semper ardeat, & in nulla amplius probatione sui deficiat. O mea flamma, & suavis amor meus, quid vis, ut faciam? quicquid hactenus amavi, vertatur contra me, ut cor meum convertatur ad te: cum omnibus rebus volo bellum habere, tecum solo pacem & amicitiam. Omnibus amore tui renuncio; te solum volo, tibi me restituo, me offero, me totum consigno. Infer mihi, Domine, pœnas, tribulationes & cruces, dummodo cum iis tuus divinus amor me comprehendat, vinciat ac teneat. Doce me Domine, sic ferre farcinam carnis hujus, ne te amittam, neque offendam: doce me multum pati pro te: doce me æstimare te: nesciam aliam jacturam, quàm tui; aliud lucrum, quàm tuum amorem: horream omnia, quæ abducunt à te: jaciam affectum meum, & amorem meum in ea, quæ ducunt ad te. Tu es unicus amor meus, & finis totius vitæ meæ, desideriorum meorum, & actionum mearum. Te quæram, tibi conjungar, te solum desiderem, & totum hoc, quod tu non es, amodo fastidiam. Defige, vita mea, in te omnem sensum, & cogitationem meam: delectet me solum pati pro te, & subjici voluntati tuæ. Obliviscere, Domine, præterita mala mea, respice desideria, quæ nunc mihi largiris: & quia scis, quàm gravia sint desideria, quæ differuntur, ne moreris, bone JESU, venire ad me, & recipere me ad te, quod summè desidero. Veni, Domine, & præsentiam tuam illumina tenebras hujus animæ, & fac, ut summa pœna mea sit mora tua in impertiendo mihi tuo amore. O quando, amor divine, facies opus tuum in anima mea! O Amor, non occupa te totum in torquendo hoc innocente agnello: suscipe etiam curam domandi & cicurandi ferum hunc lupum, animam meam, & eam semper duc ad manum. Outinam tandem videam me totum mutatum, & possessum à te, Amor Divine!

*Ac totos
occupando.*

VI. Et quid magni erit, Deus animæ meæ, si desiderem occupari me totum in te, posteaquam sine te perdo me, & video te semper mecum occupari sine alio lucro, quàm quòd te delectet me amare, ac donare gratiam tuam? nam fortè, mi bone JESU, es otia tus novem his mensibus, cum taceres, lateres, nec patereris, quod optabas? Minimè verò: totum hoc tempus impendisti sensui maiorum

lorum meorum, & obtulisti te Patri tuo æterno, impetrando & promerendo mihi miserationes & beneficia infinita: jam ibi habebas me præsentem, & amabas me: jam ibi vocabat me amor tuus ad unionem, & ad servitium tuum. Omnem guttam sanguinis, quæ acereſcebat corpori tuo, omne nutrimentum, quod hauriebas pro membris tuis tenellis, omne incrementum staturæ offerebas Patri æterno, & renovabas amorem, totum pro me deputans Cruci: ac totidem desideria, novosque gustus habuisti, multum faciendi pro me, quot momentis procedebat vita, & tuæ naturæ humanæ robur, quam mei amore assumpseras. Quid amplius pro me facere poteras, si ego Deus tuus fuisset? Adoro hanc Bonitatem, adoro hanc cogitationem, & amorem infinitum, tam generalem, ac tam particularem; tam antiquum, ac tam novum; tam amplum, ac tam minutum; tam æternum, ac toties renovatum. Obstupro & obmutesco: inflamma cor meum vero amore, ut possim sentire, gratus esse, ac te amare.

VII. Tu me, Deus meus! tu pro me! & quomodo non eras in eo, quod agis, nec te seducit malus affectus! Ergo Deus meus, tu me? Ah, ah. Bonitas! ah, ah, ah! amor sine lege, sine norma & mensura! adoro te, laudo te, desidero te, suspiro ad te. Veni Domine, & agè in me hoc, quod agis in te: & quia non admittis aliam rationem ejus, quod agis, quam amorem; doce me hanc legem, & hanc rationem, ut ea sola me regat. Quid magnifacio te valde desiderando, te multum amando, vivendo tibi soli; quandoquidem pro nihilo est, quod facio, neque dignè possum respondere debito meo? non possum esse primus, quia tu semper incipis: placeat ergo tibi, Domine, ut sim saltem secundus, & aliquâ scintillâ amoris tuo immenso respondeam. Sed tuum est, amor divine, facere omnia, & hoc ipsum, quod jam desidero, est opus tuum. Tolle, Domine, à me impedimenta tui amoris; dirue murum hunc interpositum inter te & me. Amor, qui tantopere te occupat mecum, moveat te, ut destruas, quod in me tibi non placet, nec satisfacit. Dirige, Domine, ac Deus meus, omne desiderium meum, spem meam, vires meas, totam animam meam, totum tempus, & omnes actiones meas secundum voluntatem tuam divinam. Quis
 D 3 me

me cognoscit, sicut tu, Deus meus? quis videt necessitates meas, nisi tu, qui es unicum remedium? Ego adsto coram te, qualem me vides: quid jam desiderem, tu scis: quo ardore, qua tepiditate desiderem, tu solus intelligis: quantum tibi debeam, scis: quantum egeam tuo amore, tu, qui amas animam meam, optimè perspicis. Da mihi, Amor meus, hoc, quod vides mihi tam necessarium, ac præpara me ad recipiendum hoc, quod mihi dare solus tu potes. Ego sum tuus, & tu meus: tibi loquatur pro me amor tuus. En habes hîc me tibi subjectum quantum possum, oculis, desiderio, spe, animâ, omnibus viribus suspirando ad te. Quando venies, Domine, & abundanter me inflamabis totum tuo amore? ô Deus meus, ô amor meus, ô vita mea, ô ignis meus, ô mi dulcissime JESU!

Mater DEI, Virgo purissima, quis poterit unquam comprehendere, quæ consecuta es novem his mensibus? obmutescit hîc etiam lingua mea, loquatur desiderium meum. Da mihi hunc Dominum, da mihi eum, Domina vitæ meæ: da mihi eum, spes mea: plus petere nec scio, nec volo. Tu scis quomodo solum Christum desiderem: obtine mihi amorem, ut sciam desiderare perfectè; & brachia interna ac pura, quibus eum semper retineam. O Curia cælestis, quæ amas & amaris, & in hoc omne tuum bonum consistit, fac ne pauperculus ego hoc caream, sed ut vivam semper, amando, posteaquam vivo amatus ab hoc Domino, qui in vobis vivit & regnat.

EXERCITIUM.

Circa Incarnationem Domini.

I.

*Aoratio
Verbi In-
carnati.*

ADoro te, Verbum Incarnatum! adoro te, Fili DEI! qui factus es homo: adoro te, Deum verum, vestitum miserabili mea mortalitate & carne. Venisti, desideratus à patribus: venisti, salus animarum, vera vita & felicitas errantium peccatorum. Non gloriatur ampliùs cælum, quòd solum ipsum inhabites, posteaquam unitus meæ humanitati, & socius es mei exilij. Jam nulla creatura me contemnat, posteaquam non adoro Angelos, sed ipsi DEUM adorant hominem. Venit hora tua, ô fons aquarum viventium, Flumen copiosum, & affluens infini-

infinità bonitate, & miserationibus. Natus es, Deus meus, ac Dominus meus, de Matre, inundans omnia gratiis ac divitiis cælestibus: oblitus malorum nostrorum, suscepisti miseras nostras, & venisti, ô Sponse animarum, plenus gratiæ & veritatis; ô qualis gratiæ, ô qualis veritatis! quis est ita verax, ut Tu, Deus meus? quando mundus minimè hoc merebatur, & peccata regnabant, & per ea magis corrupta & vastata erat natura; quando maximè causam habebas abhorrendi à nobis; tunc apparuit veritas tua, tunc totum te dedisti nobis in manus, tunc venisti nos quærere, & succurrere tuâ præsentia: factus es homo similis nobis, & socius, & remedium malorum nostrorum. Tantùm Tu Domine, verax es; ac tempora, quæ implendis tuis promissionibus decrevisti, nunquam emanent. Quando videris longè abesse, tunc es propinquior, & ostendis tuam præsentiam plenam gratiæ & veritatis: quia tecum adducis misericordiam, divitias, bona, salutem, vitam, felicitatem, pacem, amicitiam, thesauros, magnitudinem, & abundantiam veram animarum, quas venis quærere; & mundi, quem venis restaurare. Tu non solus advenis, ô Domine supreme: non relinquis thesauros tuos in cælo sub custodia: quicquid habes bonorum, tecum asportas. Nihil amittis de tua magnitudine, quando sis homo, sicut ego sum; sed mihi largiris, quicquid habes. Jàm non possum ex metu fugere tuam Majestatem, posteaquam teneo te circumdatum meâ miseriâ, & mei amore constrictum. Complector te, Deus meus, & omne bonum meum. Amo te, quia es mea beatitudo, thesaurus divitiarum mearum, socius meus, & verus amicus, quies animæ meæ, lætitia & gloria, & salus mea.

II. O quàm te sum dives, Deus meus! flagrent invidiâ Angeli ac Seraphini, cælum ac terra, & omnes creaturæ, posteaquam ego habeo in hoc Domino, quod ipsi non habent: quia ego habeo Deum hominem, sed Angeli non habent Deum Angelum. Adorate ô sanctæ creaturæ, hunc, qui est unicum bonum meum, socius & amicus meus, Deus homo, & homo Deus, à quo provenit, quicquid boni habetis, ac potestis habere. O Amor Divine, quàm potens es! Non possum ego tantum peccare, quin tu plus possis condonare: nec mea ignavia & ingratitude tantum valent, ut adimant tibi voluntatem faciendi mihi gratiam: & cùm ego tam facile te dimit-

*Felicitas
hominis ex
Incarnatione
Dei.*

dimittam, non tamen possum te amittere: quàm primùm enim aufugio, tu mihi appropinquas, ac tenes me viribus ignis tui Divini, suscipiendo meam naturam, & induendo te meis miseris: & in his totum te mihi largiris, quia venisti in meum exilium, & mihi te miscuisti: & si ego fugiam à Deo, non possum fugere ab homine; adeò ut nisi sponte perdam meipsum, non possim perdere te factum Hominem, socium miseriarum, ac mortalem, ut ego sum. Bene te intelligo, Deus meus: Amor est, qui te trahit, & tu vis amorem. Tu, Domine, ardes hoc igne, & vis, ut, cum stuppam nostræ humanitatis attingis, ardeat etiam ipsa tui amore, concipiens flammam à te, Deus meus, nec velit maderere semper aquâ faculentâ terreni amoris. Ideo tu, Deus meus, quantum est ex tua parte, omnibus amoris ignem accendis, adeò, ut etiam ii, qui pereunt, abundant effectis & favoribus tui Divini amoris; etsi postmodum omnia perdant, quia cor suum tibi non præbuerunt. Ego, Domine, animæ meæ, do tibi meum cum omni meo spiritu, & omni meo amore: quia sicut tenerè te amo, ita desidero totus in amore tuo liquefcere: & si haberem infinitum amorem, infinitis modis te amarem: sed nunc amo te quantum possum, ó bonum animæ meæ! & quia tu bonum infinitum, totus es meus, te toto te amo.

*Amor &
contritio.*


III. O si semper amássem! ó si me semper inflammásses tuo amore! ó si tu me semper possedisses! ó si nihl unquam fuisset, quod me potuisset à te separare! ó mi DEUS Homo! etsi natura humana invenitur in te perfectíssima, puríssima, ac plena gratiæ; est nihilominus pars meæ, quamvis miserabilis. Non potest esse in te, sicut est in me, culpabilis & corrupta. Sed est in te velut instrumentum meæ salutis, per quam huic, in qua pereo, vis mederi. Cura me, vera salus: illumina me, lux claríssima: subleva me, magnitudo Divina: sustenta me, fortitudo suprema. Da mihi vitam æternam; quia te, Deus, quem adoro, video hominem subditum meis miseris, absque peccato, & plenum omnibus his gratiis, pro meo remedio. Misericordia & amor, qui te cogit fieri hominem, cogat etiam compati huic humanitati, in me tam miserabili, tamq; corruptæ. Voluisti, Deus meus, ostendere, quòd quidquid facis inter homines, totum facias velut in causa propria, posteaquam factus es homo. Sana ergo jam mea vulnera, quasi tua: cura me, gubernana

berna me, juva me, sana me, quasi tuum; quia pro honore hujus naturæ, quam assumpsisti, vis omnes homines esse, quales tu exigis, mundos, nitidos, opulentos, beatos. Ego sum tuus, Creator mihi: sum tuus de jure, & cupio tuus etiam esse ex amore, ac tota voluntate cordis mei. Vides me, Domine, tibi esse propinquum: constringo tuos sacratissimos pedes, nec te dimitto; quia totus es meus. Tuæ voluntati trado me totum, quia tu per amorem habes possessionem hujus animæ meæ. O Amor, sic me immuta, ut possis etiam tu dicere, tota es mea, ô pauper creatura. O si videam utrumque hoc impletum, ut sicut tu totus es meus, ita & ego totus sim tuus! sed tu solus hoc potes efficere, ô ignis Divine! tuum est, me urere & inflammare, ac in te convertere.

ÆRVMNA IV.

De Asperitate, qua Dominus exceptus est in sua Nativitate.

I.

 Um tempus appeteret, ut Verbum Incarnatum procedens *Christus* ex utero purissimæ Virginis, appareret in mundo, tan- *exultans* tum fuit ejus gaudium, quòd videret imminere, quæ tan- *numis.* toperere desideraverat, ut illud Propheta animo Gigantis comparaverit, qui ad præclaram aliquam expeditionem tendit exultans. *Exultavit ut Gigas ad currendam viam. Ps. 18.* cùmque venisset in terram, constrictam frigore, vocavit exercitum Angelorum de cælo, ut ob hunc tam optatum ingressum sibi gratularentur: quod utique facturæ erant etiam aliæ creaturæ, si hoc eis concessum fuisset; non minus gaudium de gratioso ejus adventu demonstraturæ, quàm postea mœrorem de tristi obitu ejus ostenderint. Sed uti statuerat in terra plantare Spiritum cælestem, & incendere modo longè diverso ab amore terrestrium rerum: ita contentus fuit hac gratulatione cælesti: etsi sacratissima Virgo non omisit suo, ac totius mundi nomine, excipere ac salutare Creatorem: quia sola digna fuit obire id munus, & supplere totius naturæ defectus.

E

II. Cùm